



Na uero sabbatorum Maria Magdalene uenit mane, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, uidetq; lapidem sublatum à monumento. Cucurrit ergo, & uenit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum discipulum quē amabat Iesus, & dicit: Sustulerunt dominū à monumento, & nescimus ubi posuerunt eū. Exiit ergo Petrus & ille alius discipulus, et uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentum. Vnam sabbatorum nominat, quam nos dominicā uocamus. Nā sabbata dies hebdomadæ nomināt: unā autē dierū sabbati, primā. Etenim reuera dies omnes una sunt. Sæpe autē quū accipit una, & cōponit, multas facit. Vna itaq; est prima, bis autē si accipiat fit secūda: et si tertio, tertia, & deinceps. Futuri autē seculi typus est dies iste, quod seculū unus dies, nunquā morte dissectus & dimidiatus. Deus enim sol est eius, qui nunquā occidit. Igitur quē admodū in hoc resurrexit dominus, corruptibile suū corpus incorruptibile recipiens: ita & nos in futuro seculo incorruptionē recipiemus. Venit igitur in hac una, hoc est prima sabbatorū, hoc est dierū sabbati & hebdomadæ, Maria Magdalene: nā sabbatū quidē præterierat, & nō ultra à lege prohibebat, & abiit à loco, uolens cōsolationē quandā inuenire: & quū uidisset lapidē sublatū, magna festinatione uenit ad Petrū & Ioannē. Nā dominus quidē surrexerat lapide supraposito, & obsignato sepulchro. Quia autē & testes quidā resurrectionis esse oportebat, & in sepulchrū ingredi, tollit lapis ab angelo. Maria autē nihil adhuc de resurrectione sciens, furtū & ablationem uocat quod cōtigerat deo. Et discipuli assistunt monumento, & uident lintea sola posita, id quod uere signū erat resurrectionis. Neque enim si transfuissent quidā corpus, nudassent illud: neq; si furati essent, curā habuissent deponendi sudarij, euoluēdi, & ponēdi seorsim in unū locū: sed simpliciter (sicut potuissent) accepissent corpus. Propter hoc etiā Euāgelista prius dixit, quod cū multo unguento sepultū fuerit, quod nō minus bitumine lintea corpori adhærere facit: ut quū audierim⁹ quod sudaria sua illic fuerint posita, ne credamus dicētib⁹ quod furtim sit ablatus: neq; em̃ ita insipiens fuisset fur, quod in rē superuacua tantā insumpsisset curā & tēpus, & nō fuisset uisus in hoc esse occupatus, & furti reus futurus. Igitur qua hora quidē fuerit resurrectio, nullus scit, sicut & tēpus secundū aduentus incertū. Quāuis autē Matthæus dicat profundo uespere factū esse terræ motū: Ioannes autē mane quū essent adhuc tenebræ, Mariā uenisse, & uidisse remotū lapidē: nō est diuersitas. Nā primū quidē hoc dicimus, quod apud Matthæū quidē mulieres uenerūt uespere sabbatorū. Apud Ioannē autē nō mulieres nunc memorant. Superfluū enim fuisset, quū Matthæus hoc prius dixisset, & Ioannes eadem diceret. Sed Maria Magdalene uenit mane. Multi enim fuerūt aduentus ad sepulchrū: uenit enim interdū cū alijs mulieribus, interdū autem sola. Vnde Euāgelistæ uarias uisitationes posuerūt, aliusq; aliā dicentes uidentur dissonare. Nam primum quidē dicimus, quod aliā uisitationē dicat Matthæus mulierū, & aliā Ioānes Mariæ Magdalenes. Deinde profundo uespere, & mane quū adhuc essent tenebræ, id quod alius dicit profundo diluculo, in idē tendunt: quia omnia illa tēpora fuerunt mediū noctis. Si autem rogas, quomodo assidentibus custodibus Ioannes & Petrus accesserint ad sepulchrū & mulieres. Ut simpliciter dicam, mox ut resurrexisset dominus, & adstitisset angelus sepulchro cum terræ motu, custodes iuerunt ut nunciarent pharisæis: & ita sepulchro à custodum præsidio relicto, libertatem accedendi habuerunt discipuli.

Et quum se inclinasset, uidit posita lintheamina, nō tamē intrauit. Venit ergo Simon Petrus sequens eū, & introiuit in monumentū. Et uidet lintheamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, nō cū lintheaminibus positū, sed separatim inuolutū in unū locū. Tūc ergo introiuit & ille alius discipulus, qui uenerat prior ad monumentū: uiditq; & credidit. Nondum enim nouerant scripturā, quod oportuisset eū à mortuis resurgere. Abierūt ergo rursus discipuli ad semetipsos: Maria autē stabat ad monumentū foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se in monumentum, & uidet duos angelos auctos albis, sedentes unū ad caput, & alterū ad pedes illic, ubi posuerant corpus Iesu. Discunt ei

cunt ei illi; Mulier, quid ploras? Dicit eis: Sustulerunt dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Vide hic quam alienus à fastu sit Euangelista, quomodo testetur diligentiam Petri in scrutando. Nam quum ipse praeuenisset, & uidisset iacentia lineata, non ultra curiose quaerit, sed expectat illum. Petrus autem feruentissimus, introgressus, omnia diligenter explorauit: tunc hic post illud ingressus, uidit sepulchralia separatim posita, ac credidit. Non quod surrexisset dominus, sed quod furto ablatum esset. Credidit enim Mariae dicenti: Sustulerunt dominum. Quare autem credidit Mariae, & non cogitauit quod surrexisset? Nondum enim scierunt scripturam, quod oportebat eum à mortuis resurgere: & propterea crediderunt Mariae, suspicaturusque furtum & ablationem. Igitur hi quidē abierunt ad seipsos, hoc est per seipsos, nihil ultra curiosius inquirentes. At Maria (muliebre enim genus affectionibus magis obnoxium, & ad lachrymas propensum) ante sepulchrū stat & plorat. Quia enim non habebat Iesum, uel locum uidet, in quo fuerat positum desiderabile corpus, ex hoc solo consolationem inueniens: unde & maiorem meretur uisionem quam discipuli. Quare enim illi non uiderunt, ea haec conspicata est: duos angelos inquam. Maximae consolationi ei erant angelorum conspectus, & fulgidus illorum habitus. Sedere autem unum ad caput, & alterum ad pedes, manifestat quod sciant quid amplius, & si rogentur, posse docere. Porro dicendo, Cur ploras, magna compassione plenum est. Nam ut ne turbetur mulier interrogatione hac, perturbationem mulieris reprimunt, mansuete ac placide dicendo, Quid ploras? Illa autem magna affectione & amore dicit: Sustulerunt dominum (inquit) propterea que ploro: nescio enim quò transulerint eum, ut eò uadens inungam corpus, & uel mediocrem ex eo consolationem inueniam. Tu uero discis hic Petrum practicum & feruidum, Ioannem autem contemplatiuum, & ad diuinorum cognitionem idoneum. Sapius igitur cōtemplatius cognitione & ingenio praeuenit, practicus autem detrimētum habet: attamen seruiore ac studio illius uincit alacritatem. Et uidet prior diuinum quoddam mysterium practicus. An non tale quiddam contigit in disciplinis? Etenim quum duo pueri sunt, unus ingenio acutior, alter tardior, praecupat hic suo studio uelocitatem naturae alterius. Etenim in spiritualibus saepe practicus, & sermōe idiota, sensu quiddā sublimius percipit contemplatiuo. Sed & omnis anima quae dominatur affectionibus, Maria dicitur. Purpura igitur per affectionum depositionem uidet Iesum simul deum & hominem. Nam angelorum unus qui ad caput sedet, deitatis symbolum: alter autem ad pedes, incarnationis uerbi, quae est extrema.

Hac quum dixisset, conuersa est retrorsum, & uidet Iesum stantem, & nesciebat quod Iesus esset. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Quem quaeris? Illa existimās, quod hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu asportasti eum, dicito mihi ubi posueris eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Cōuersa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Sed uade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: & deum meum, & deum uestrum. Venit Maria Magdalene, annuncians discipulis quod uidisset dominum, & ea dixisset sibi. Quare conuersa est retrorsum Maria, quum loqueretur cum angelis: quid accidit ei, quod conuersa est retrorsum? Videtur igitur quod dum illa colloqueretur cum angelis, Iesus steterit post eam, & illos territos quia spectauerant dominum, & habitu, & forma, & aspectu, statim dixisse quod uiderint dominum: quumque hoc audiisset, mulierem conuersam esse retrorsum. Nam angelis qui dem in habitu, quo terreat, apparuit: Mariae autem non item, sed in simplici & communi. Ideo & illum putauit esse hortulanum, horti uidelicet illius in quo sepulchrum erat. Vnde & dicit: Domine asportasti eum, hoc est, si tu furatus es. & non dicit Iesum, sed eum, quasi ad eum qui sciret faciens sermonem. Si igitur tu portasti & abstulisti, ac furatus es eum ex hoc loco, dic mihi, quò posuisti eum, & ego illum tollam & transferam in locum suum, ubi magnifice sepelietur. Fortassis enim metuebat, ne forte Iudaei & in mortuum corpus defauirent, & propterea uolebat in alium incognitum locum eum transferre. Plena enim affectionum erat mens mulieris, non ualens sublime quiddam

cogitare: ideo & dominus, quia à seipsa sublime quiddam intelligere nequibat, sua uoce se illi notum reddit. Quum enim solo nomine uocasset eam, dicens, Maria: sui notitiam illi concessit. Nam sicut ludæis aliquando innotescebat, aliquando etiam præfens incognitus erat: ita etiam loquens quando uoluit, seipsum illi notum faciebat, sicut & nunc, quando uoluit, cognobilem se fecit Mariæ per uocem. Quia etiam si loquutus dixisset: Mulier cur ploras? non agnouisset eum mulier: non enim uolebat Iesus. At quando uoluit, tunc per uocem agnitus fuit. Conuersa mulier, dicit ei. Cur hoc illi loquuta est, ac dixit: Dic mihi, quò posuisti eum? & nunc Euangelista dicit, quod conuersa. Videtur itaque, quod postquam ipsa dixit, quò posuisti, conuersam esse ad angelos, interrogaturam forsitan, quare expauesciti fuissent. Deinde uocata à Christo, perculsam per uocem, & conuersam ad illum ab istis, & ita agnouisse ac dixisse, Rabboni: & uoluisse quidem accedere ad eum, & esse cum eo sicut prius, & fortassis ut desyderabilem unguento perfundere. At ille euexit eius mentem, ut melius quiddam de se sentiret, maiori que reuerentia se obseruaret, dicens: Ne tetigeris me: hoc est, non ultra res se habent ut olim, neque similiter uobiscum conuersari uolo. nam quamuis nec uerbis hoc dixerit, sic tamen intelligitur. Ascendam enim ad patrem meum, & illuc festino. Illuc enim festinanti, & non iam tale habenti corpus, quale dum conuersaretur cum hominibus, Maiori autem reuerentia operæ precium fuerit attendere, & ut præstantiori, quam communis tactus & colloquium & conuersatio ferat. Vide autem quantam sententiam breuiter loquutus fuerit Euangelista. dixit enim, ne tangas. Deinde quasi interrogasset quispiam, Quare, inquit, eo quod non iam tale mihi corpus est, quale quum in terra uersarer, sed quale in coelo & sursum. Et deinde quasi iterum subinferret: Quare igitur nunc in terra ambulas si tale habes corpus? Nondum enim (inquit) ascendi ad patrem meum, ascensurus autem sum. Hoc enim per sequentia manifestat, dicens: Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: quamuis non statim ascenderet, sed post quadraginta dies. Quomodo igitur hoc dicit? mentem eius erigere uolebat, & persuadere, quod in coelos iret, & per hoc solacium caperet. Quia autem dixerat, fratres: subdit, Et patrem uestrum. Pater enim & noster deus, sed gratia, domini autem pater natura. Sic deus quoque modo diuerso, noster enim natura, Christi autem iuxta humanitatem. Deus enim eius fuit secundum quod humanam assumpsit naturam. Abit igitur Maria, quum ei dominus ita loqui dignatus esset, & annunciat ea discipulis. Tantum bonum est perseverantia & assiduitas. Assiduus igitur & tu sis, & discas forsan quiddam, & discipulorum uerbi futurus es doctor.

Quum ergo esset uespera die illo, qui erat unus sabbatorum, & fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum ludæorum, uenit Iesus, stetit que in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Gauisi sunt ergo discipuli uiso domino. Dixit ergo eis iterum: Pax uobis. Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Hæc quum dixisset, flauit in eos, & dicit: Accipite spiritum sanctum: quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta sunt. Postquam Maria annunciauit hæc discipulis: uerisimile autem erat, uel illos non credidisse ei: uel si crediderint, doluisse quod ipsi non fuerunt habiti digni: idcirco illo die eis assistit sitientibus, propterea quod à muliere audierant eum resurrexisse. Quia autem timebant ludæos, ideo magis uidere desyderabant, ut inde esset eis aliquanta consolatio. Assistit igitur uesperis. Expectauit enim donec omnes congregarentur. Clausæ autem erant fores, ut ostendat quod ita surrexit supraposito lapide super sepulchrum. Quomodo autem non putauerint illum phantasma, admirabatur quispiam. Mulier prius magna eos fide firmarat. Et aliter: Mansuetam eis faciem exhibuit, & uoce fluctuabundas eorum mentes placauit. Quum autem dixisset, Pax uobis, hoc est ne turbemini: insuper & memores eos facit uerbi, quod ante crucem dixerat eis: Pacem meam do uobis. Gauisi autem sunt uiso domino. Et hoc quoque prædixerat eis ante crucem, dicens: Videbo uos, & gaudebit cor uestrum. Quia autem cum

cum Iudæis absque inducijs gerebant bellum, iterum dicit eis, Pax. Sicut enim mulieribus dixit, Gaudete, eo quod in luctu erant: ita illis pacem dat propter bellum, quod cum Iudæis habebāt, & habituri erant. Congrue igitur illis gaudium, ut mœrentibus: & maledictis olim, ut in tristitia pariant: uiris autē pacem dicit, propter pericula prædicationis. Interim & crucis bona declarat, quæ pacis sunt. Ideo quia per crucem pax facta, mitto uos ad prædicationem. Consolans autem eos & animans, inquit: Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Meum opus (inquit) suscipite, & confidite quod uobiscum sim futurus. Vide autem & auctoritatem: non dixit, obsecrabo patrem meum, & mit-
 tet uos: sed, mitto uos. Insufflat autem, et dat eis spiritum sanctū: non perfectum donum patris nunc eis tribuens (hoc enim in Pentecoste daturus erat) sed ad susceptionem spiritus idoneos eos reddens. Accipite (inquit) spiritum sanctum, hoc est estote idonei ad suscipiendum spiritum. Dicendum autem, quod & potestatem quandam & bonum spirituale dedit eis: non ut mortuos suscitent, & uirtutes faciant, sed ut remittant peccata. Ideo & subdit, Quorum remiseritis peccata: ostendens quod genus spiritualium donorum eis dederit, remissionem uidelicet peccatorum. Post assumptionem autem misso spiritu, & signorū & aliorum charismatum uirtutem eis largitus est. Digna autem quæstio: quare non in Galilæa discipulis apparet, sed in Hierusalem: quum Marcus & Matthæus dicant promississe eum illis se uidentum in Galilæa? Quomodo ergo in Hierusalem apparet? Dicunt igitur quidam, Quid hoc? Non enim dixit, in Galilæa duntaxat uidebo uos, in Hierusalem autem non uidebo. Et ita amplius apparet, & non mendacium. Deinde enim uidentum se in Galilæa ab omnibus discipulis, & non à duodecim tantum, sed & à septuaginta promittit. In Hierusalem autē solis duodecim uisus fuit. Neque est ulla hic diuersitas. Visus enim est ab omnibus in Galilæa, duodecim autem in Hierusalem: nam plures uisiones fuerunt. Nam alij has, alij alias scripserunt. Fortassis autē de eadem materia tradentibus duobus Euangelistis, implet quæ a priore dicta sunt posterior. Vide insuper sacerdotum dignitatem, quod diuina sit. Dei enim est remittere peccata. Sic igitur illi honorandi sunt ut deus: nam quamuis indigni sint, quid hoc? Diuinorum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos, sicut & per aliam Balaam locutus est: non enim indignitas nostra gratiam prohibet: atque ita quia per sacerdotes gratia suppeditatur, honorandi sunt.

Thomas autē unus ex duodecim, qui dicitur didymus, nō erat cū eis quādo uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus dominum. Ille autē dixit eis: Nisi uidero in manibus eius uestigiū clauorū, & misero digitū meū in uestigiū clauorū, & misero manum meā in latus eius, nō credā. Et post dies octo iterū erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis: uenit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio illorū, & dixit: Pax uobis. deinde dicit Thomæ: Infer digitū tuū huc, & uide manus meas, & admove manū tuā, & imitte in latus meū, & noli esse incredulus, sed credens. Respondit Thomas, & dixit: Dominus meus & deus meus. Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thomas, credidisti: beati qui non uiderunt, & crediderunt. Non erat Thomas cum discipulis, uerisimile enim illum ex congregatione nondum fuisse congregatum. Quid autem est quod dicitur didymus? interpretatio est nominis Thomas. Merito autem meminit interpretationis eius nominis, ut ostendat nobis, quod dubitator quidam sit, & id uitij à principio habuerit, ut & nomen indicat. Dicentibus autem alijs discipulis de domino non credit, non illos mendaces existimans, sed resurrectionem impossibilem putans. Ideo & arguitur, ut supra modum curiosus. Nam quemadmodum facile credere, leuitatis est: ita ualde ob-
 luctari, rusticitatis est crassitudo. Vide em̄ quomodo neq; oculis dicebat se credere, sed & nisi misero manum meam, addidit. Vnde autem sciebat latus habuisse loca? Audi erat à discipulis. Quare non statim apparet ei, sed post dies octo: ut quum edoceretur à condiscipulis & his qui ea audierant, in maius desyderium accenderetur, & fidelior in futurum fieret. Ostendere autem uolens dominus, quod & tunc aderat, quando incredulitatis uerba cum discipulis tractarit Thomas: non expectauit ut ab eo tale quiddam audiret, sed ipse prior, quæ desyderabat implet. Etenim uerbis iisdem usus est

dicens. Et uide quomodo loquat̃, primū increpans: Affer manū tuā. & dē in admonē-
nem, & frustra quosdam gratificari Thomæ, dicentes quod data opera & prudenter
non facile crediderit. Nam dominus incredulum uocat. Vide autem quomodo is qui
prius incredulus, tactu lateris uerbū optimū indicauit. Duas em̃ naturas & unā hypo-
stasin unius Christi docuit. Dicēdo enim dominū, humanā indicat naturā: nā de homi-
nibus dicit dominus, sicut: Domine si tu sustulisti eū. Dicendo autē deus meus, diuinā
substātiā ostendit, & ita unū & eundem esse dominū & deum. At dominus ostendens
nobis, q̃ fidei sit recipere ea quæ nō uident̃, dicit: Beati q̃ nō uiderūt, & crediderūt. Hoc
loco discipulos intelligens, q̃ neq̃ fixurā clauorū, neq̃ latus tetigerant & crediderunt.
Nō illos autē solū, sed & eos qui postea crediderūt. Nō prius autē Thomā beatitudine
hoc dixit, sed cōsolans eos q̃ nō uiderant. Quia em̃ multi dicunt, Beati oculi q̃ uiderunt
dominū, solat̃ eos qd̃ multo beatius sit nō uidisse. Quomodo autē corpus incorruptibile
monstratū est habere & clauorū typos, & humana manu tangibile factū est, per attem-
perationē ad illorū infirmitatē facta sunt hæc omnia, quod ingressum clausis ianuis, &
ita tenue ac leue omniq̃ liberū fuit crassitudine. Et ut credat̃ firmū resurrectio, hæc mō-
strant̃. Et p̃pterea surgit habēs signa crucis & uulnera: q̃a & qd̃ comedit, nō necessitatis
erat, sed ad cōfirmationē resurrectionis comedit, sicut & ante crucē in fluctib⁹ ambulās
nō alterius naturæ corpus habuit: Ita & nūc palpabile ipsum, & typos habens ostendit.
Et quamuis palpabile & uisibile, simul tamē & corruptibile ipsum circumfert, ut fides
cōfirmet̃, & nō necessitate & lege corporis. Omne em̃ qd̃ comedit̃, in secessum uadit,
& alterat̃: id qd̃ de Christo nō erat dicendū, sed ui quadā inuisibili & diuina cōsumeban-
tur edulia ad cōfirmationē resurrectionis tantū assumpta. Vide autē q̃modo p̃pter unū
hominē Thomā nō dedignatus est ita cōdescēdere dominus & latus ostēdere, ut saluet
animā unam incredulam. Ita & nos neq̃ minimū contemnere debemus.

Multa quidē & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorū suorum, quæ non sunt
scripta in hoc libro: hæc autē scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus filius dei,
& ut credentes uitā habeatis per nomē eius. De quibus signis hic dicit Euangelista:
num de ijs quæ ante crucē: Nō, sed de ijs quæ post resurrectionē fecit coram discipulis
suis. Quæ autē ante crucē, nō corā discipulis, sed omnibus faciebat. Atq̃ ita hæc, de
quibus nunc dicit Euangelista, post resurrectionem sunt facta. Cum solis em̃ discipulis
uersabatur quadraginta diebus, signa ostendens resurrectionis. Sicut enim ante cru-
cem faciebat signa, ostendens se esse filium dei: ita post resurrectionē perficiebat signa
coram discipulis, ostendēs se filium hominis, & habere corpus, id̃ que incorruptibile &
diuinius, & non iam carnalibus legibus subditū. Quum igitur multa facta sunt signa
resurrectionis, hæc solum scripta sunt: & neq̃ hæc ostentationis gratia, uel ut ostenda-
tur gloria unigeniti, sed ut uos (inquit) credatis. Et quod lucrum & cui cedens? non
Christo: quæ enim eius utilitas dum nos credimus? sed in nosip̃os redundans. Dicit
enim, ut credentes uitā habeatis in nomine eius. Credentes enim quod resurrexit
& uiuit, nobisip̃is uitā paramus. Propter nos enim surrexit & uiuit. Qui autem
mortuum ipsum esse putat, & neque resurgere, neque uiuere, ille sibi mortem & cor-
ruptionem adiudicat & confirmat.

CAPVT XXI.

I Ostēta manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis: manifestauit autē
sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur didymus, & Natha-
naël, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, alij que ex discipulis eius
duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscatum. Dicunt ei: Venimus & nos
tecum. Exierunt & ascenderunt in nauim statim, & illa nocte nihil cepe-
runt. Mane autem iam factō, stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli
quod Iesus esset. Dicit eis Iesus: Pueri, num quid obsonij habetis? Responderunt ei,
Non. At ille dicit eis: Mittite in dextram nauigij partem rete, & inuenietis. Miserunt er-
go, &